



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus XXIX. De legatis pauperibus distribuendis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS XXIX.

De legatis pauperibus distribuendis.

Tiburtius in ultima sua voluntate inter alia reliquit bina legata, unum 200. fl. ut hi inter pauperes, distribuantur; alterum, ut duo pauperes scholastici consanguinei alantur in studiis,

QUÆR. I. An legatum relictum, ut pauperibus distribuatur, possit totum dari uni pauperi, vel duobus tantum?

QUÆR. II. De quibus consanguineis intelligendum sit legatum, relictum pro consanguineis testatoris?

QUÆR. III. Quinam consanguinei sine aliis præferendi in legato relicto pro consanguineis pauperibus?

169 **A**D 1. Q. posse legatum relictum inter pauperes distribuendum uni soli concedi, affirmat Sermiento apud Sanch. l. 4. consil. c. 1. dub. 60. sed id merito negat communis aliorum sententia cum cirt. Sanch. & Lug. D. 24. S. 11. & ratio est; quia cum id dependeat ex voluntate testatoris, censetur hic, ac præsumitur intendisse distributionem inter plures pauperes faciendam, tum ut plures pro se orarent, pluresque sibi obstrictos, gratosque haberet; tum ut plurium necessitatibus subveniret; atque adeo cum testator plures pauperes expresserit, & nominaverit, legatum pluribus, &

non uni duntaxat erit distribuendum.

An autem intentioni testatoris fiat satis, si tale legatum detur solum duobus? affirmat Diana tr. 11. miscell. R. 59. ubi nullum Auctorem pro hac sua opinione se invenisse ait, licet diligenter exquisiverit, (nec ego ullum invenio) probat tamen suam assertionem ex Regulari juris apposta in 6. quod scilicet pluralis locutio duorum numero contenta sit, idque confirmat adductis non nullis exemplis.

Verum, cum id totum rursus 170
pendeat ex voluntate testatoris
Z 3 (quid-

(quidquid sit de præsumptione, aut dispositione juris in aliis materiis) oppositum probabilius nobis videtur, idèque dicendum, ac præsumendum, testatoris voluntatem, ac intentionem non fuisse, ut ejusmodi legatum inter unum, alterumve distribuatur, sed inter plures, & multos, præsertim si notabilis sit pecuniæ legatæ summa inter pauperes distribuenda; tum quia testator censendus est, ac præsumendus per eam dispositionem voluisse pluribus prodesse, & plura à pluribus pro animæ suæ solatio, & commodo suffragia procurare; tum quia id conformius est distribuentium praxi, & communi sensui, quòd legatum notabile pauperibus distribuendum, pluribus, ac multis applicari debeat, id, quod videntur supponere DD. cum nomine pauperum intelligantur omnes, qui juxta suum statum indigent.

An autem eo in casu præferendi sint pauperiores ab eo, cui distributio facienda committitur? multi affirmant apud Dianam *tom. 1. p. 2. tit. 1. R. 39.* Longè plures, idque probabilius, eam obligationem negant, si legatum verè pauperibus detur, & testator aliud non expresserit, ut alibi dictum est.

171 Ad 2. Q. videndum est, an legatum relictum pro consanguineis

sit perpetuum, an verò solùm temporale? si hoc secundum, tunc ii intelliguntur consanguinei, qui sunt intra decimum gradum, ut notant Sanch. *l. 5. dub. 24. n. 13.* Lugo l. c. & alii, sicut vocantur quoad successionem ab intestato, scilicet usque ad decimum gradum inclusivè, computatis gradibus eo modo, quo jure civili computantur, exceptis Majoratibus, & iis, quæ ad perpetuam conservationem familiæ instituuntur, ubi vocantur consanguinei sine termino in descendentes, & ascendentes.

Si verò primum contingat, seu si legatum sit perpetuum, tunc rursus videndum est, an sit perpetuum perpetuitate solius legati, ut si v. g. legatum sit pro duobus pauperibus studiosis alendis, ita ut semper præferantur consanguinei, & tunc extenditur legatum usque ad gradum decimum, ut notant cit. DD. nec, si deficient consanguinei, legatum sit caducum, sed ex mente testatoris dandum est aliis. An verò sit perpetuum, etiam quoad consanguineos, ut si legatum perpetuum fiat pro duobus studiosis consanguineis alendis, & tunc vocantur consanguinei sine termino, eò, quòd testator tunc intendisse videatur perpetuitatem legati inter consanguineos.

Ad 3. Q. An in legato relicto pro consanguineis pauperibus præferendi

ferendi sint magis propinqui, & pauperiores? R. sub distinctione; & quidem si testator legatum commisit electioni alterius, potest talis executor quosvis pauperes consanguineos eligere, ommissis magis propinquis, & pauperioribus, ut cum aliis docet Lugo *l. c. n. 290.* quia hoc ipso, quod libera facultas eligendi à testatore alteri commissa sit, nec aliud testator expresserit, potest executor non eligere magis propinquum, & pauperiorem, dummodo re vera pauperem, & propinquum eligat.

Si verò ab ipso testatore legatum immediatè factum est pro consanguineis pauperibus, absque alterius commissione, tunc præferendi sunt pauperiores juxta communem

DD. apud eundem Lug. quia cum tunc ipsa electio alteri commissa non sit, sed ipse testator immediatè leget pauperibus consanguineis, præsumitur, ac censetur voluisse primo loco legare pauperioribus, magis indigentibus, & etiam magis propinquis, quia & hi eo ordine videntur vocari à testatore, quo ordine vocantur à jure civili, ut notat citt. Sanch. à jure autem civili vocantur magis propinqui: ergò. Quòd si unus sit magis propinquus, & alter sit pauperior, ait idem Auctor, præferendum esse magis propinquum, quia, ubi aliud non constat de voluntate testatoris, causa naturalis præferenda est accidentali.

